

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


**Threni Super obitum praematurum luctuosißimumq[ue]
Illustrissimi Domini Domini Augusti Comitis Ab Hardeck In
Glaz Et Machland &c. Pincernae Austriae, & Dapiferi
Styriae, utrinq[ue] Haereditarii, &c**

Harteck, August

Argentorati, 1665

In luctuosißimum obitum illustrissimi domini dn. Augusti Comitis de
Harteck [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-131113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-131113)



In luctuosissimum obitum

**ILLUSTRISSIMI DOMINI Dn.
AUGUSTI COMITIS de HARTECK &c.
Elegia.**

Dignas Augusto sedes, COMITEMQUE decentes
 dum negat orba suis Terra parere bonis;
 Ergo vale, dixit, jactura novissima Tellus,
 nunc coelum sedes familiaris erit.
 Terra parens ignosce mihi, quod & optima spernam,
 quæ soboli pridem nulla noverca dabas:
 Est generosa quidem generis profapia nostri,
 Et rebus gestis gloria parta cluit:
 Sed nec opes deerant, nec gratia prompta favoris,
 nec mundi deerat cætera pompa mihi;
 Sed mihi deliciæ mundi, fastidia sordent:
 Æther delictum tu mihi solus eris.
 Nam meliora manent in coelo munera mentem,
 mentem quod satiet solus hic orbis habet.
 Nobilitatis habet, primâque ab origine, signa,
 scripsit enim in vitæ nomina nostra libro;
 Nec deerit promissâ piis sua gloria, splendor,
 Splendor ab æterno lumine noster erit.
 Namque tui, dilecte Pater, Deus optime, vultus
 splendor erit, summi fons & origo boni.
 Computule pigmentis i nunc & Munde superbi,
 & pinge in vultu lilia mixta rosas;
 Sunt sordes, insane, tui documentâ furoris,
 Me juvat aspectu nobiliore Deus:

Ille Deus, de luce suâ qui lumina spargit,
& pingit stibio splendidiore Genas.
Qui nobis opulenta dabit patrimonia cœli;
illa tot elogiis concelebrata dabit.
Quem circumfusi devotâ voce Seraphim,
atque choris mixti turba beata, colunt.
Ille mihi nunc hospes erit, venerabilis ille
ædes, atque animæ dulce levamen erit!

Officii ergo
posuit

συμπρωτων

Baltasar Bebelius. D.
Universitatis h.t. Rector.

Sol, Phœnixq̄, Deusq̄, parem sibi nescit, eundem
hactenus Urbs nostras nescit ampla parem;
cum vidit Juvenem, studiis lucere, Dynastam,
ardere, incensum cœlite ab igne, DEO:
Quæsit Comitum Comes unus, haberet ut unum,
quem coleret Comitum, lucis honore, parem.
Forte nec invenit. DURANGULUS altius ergo
ivit; & inventus par DEUS absque pari est.
Illi se phœnix vocit pietatis ad aram;
Solem fama vehit, sub tumultu Umbra jacer.

applanxit

Joh. Conrad. Danhavver. D.

IN

Præmaturum verèque luctuosum obitum
 Illustrissimi generosissimiq; Dom. Domini AUGUSTI,
 Comitis de HARDECK, in Glaz, & Machlandt Pin-
 cernæ hæreditarii Austria, & Stiria hære-
 ditarii Dapiferi &c.

Hortorum veluti decus est ROSA nobile, sic Tu,
 Dum generose Comes lumen vitale videres,
 Egregium decus, & clarissima Gemma fuisti
 Hardekii generis, magnum quod stirpis avita
 Nomen habet, multisque simul Magnatibus alma
 Austria quos genuit generoso est sanguine junctum.

Ut ROSA delectat mira dulcedine cunctos,
 Inclite sic AUGUSTE Comes jucundus, amœnus,
 Acceptusque illis, qui Te norere, fuisti.
 Idque ob præclaras dotes, queis mens Tua pulchre
 Exornata fuit. Nam delectabilis esse
 Consuevit Virtus, & multa scientia rerum:
 Illis præsertim, quorum Titania pubes
 Ex meliore luto finxit præcordia quondam.

Cum primis verò prælustri Stemmata nata
 Delicium fueras Matri, quæ jam Tua fata
 Deplorat, multis & fletibus omnia complet.
 Ut ROSA nulla solet consistere tempore longo,
 Sic AUGUSTE Comes vernanti in flore Iuventa:
 Lumina clausisti, nil curans somnia mundi.

Ut ROSA sit cultis quamvis emortua in hortis
 Illa tamen post se medicamina multa relinquit,
 Quæ proceres artis norunt fabricare decenter:
 Conservas, tabulas, destillatosque liquores,
 Syrupos, pilulas, julepos, atque trochiscos,
 Quæ vitæ nostræ multum conducere possunt.

*Sic, AUGUSTE, Tua fueras qui Gemmula stirpis,
Sis licet humana priuatus lumine vita,
Nulla tamen nomenque Tuum laudesque tacebunt
Tempora, posteritas Te decantabit ubique.
Nam lyrici vatis manet immutabile dictum,
Dignum laude Virum nunquam vult MUSA perire.
Interea Tu Victor ovans in pace quiesce.
Ac tandem rursus regali in honore resurge,
Quando DEUS summus caeli terraque Monarcha,
Dicere jus veniet, caelestia regna daturus
Illis, in vera qui sunt pietate fideque
Inuenti: sed qui spreuerunt sacra statuta
Damnaturus, & inferni iacturus in ignes,
In quibus haud seuis vermibus morietur eorum,
Et flamma inferni nullo delebitur aëo.
Sic etenim informat nostras sara pagina mentes.*

*Submissa observantia & condolentia
ergo f.*

Melchior Sebizius Med. D.
& Profess. Com. Palat. Cæs. Reip.
Archiater, & Capit. S. Tom. Præ-
positus.

Lux specimenque Domus, antiquæ gloria gentis,
Spes Marris, sæcli fidus honosque tui;
Quàm brevis ad metam via Te, Comes Inlyte, ducit?
Quàm cita vis nostris Te rapit ex oculis?
Hoc erat, æthereis quod mens exercita curis
Nil mortale aptum credidit esse sibi?

Inter

Inter spreta Tibi tamen atque relicta, manebit
Quo colimus memores nomen honore Tuum.

Memorie
Illustrissimi Comitis dicare
voluit

Jo. Henricus Bœclerus Col-
legii Philsophici h. t. Decanus.

Lustrum est, ex quo *Auguste Comes*, Tibi pandere sponte
gestiit hospitium, Te decorata domus,
Quæ mecum nunc possessore suo, heu! vice versa
cogitur exequiis pandere mœsta fores.
Felix illa dies, qua Te est visa Hospite major:
infelix, qua Te est Hospite facta minor.
Hoc magis infelix, quod jam Te amittit adulto
flore, imò fructu luxuriante gravem.
Ante annos *Auguste Comes*, maturuit in Te
ingeniumque Tuum judiciumque Tuum.
Vidissent omnes in Te magna omnia: si Te
fecissent anni longa que fata Virum.
Imperium & Cæsar, cui devotissimus omni
Tempore vixisti, condecorare suum
Certassent Comitem: stirps magna HARDECCTA longæ
effet se major, culmine læta Tuo.
Ipse ex aquasse, quos SENZENDORFIA Mater
conjunxit Fratres sanguine Clara suos,
Imperij Atlantes inter: pietate RUDOLPHUM
æmulus urisses, laudeque quemque suâ.
Verum aliter visum est fati: Te maximus Æther
esse suum voluit, quem dedit ipse prius.
Ergo quis invidet? poterat illustris in orbe
esse? atqui Cælum splendidiora dedit.

Ultimo honori
Illustrissimi Hostitis sui posuit mœstissimus
Sebastianus Schmidt S. Th. D.
Prof. ord. & Ecclesiastes.

Serenat

Serena Lux congressuum solennium,
Illustris atque Litterarum Gloria,
Gementis & permagna Spes Ecclesie,
Nostrum Decus, casu sed uno concidunt.
Funus sequuntur omnium suspiria,
Ingent acerbum. Vivit at DEO, Sibi,
Nobisque, quando desinemus vivere.

Isaacus Faustius, SS. Theol.

D. & Prof. Ord. & Ecclesiast.

Ad Illustrissimum Hardeccia Comitem de-
functum, Dominum meum, cum viveret gratio-
sissimum, & Auditorem delidera-
tissimum.

Quem Candidatis omnibus rarum decus
illorum in ordinem referre legibus
dicatus Ordo gestiebat; nunc sibi
heu! luget creptum, atque potius Coelitem,
Altissimi sententia, adscriptum videt
hunc Candidatum. Nempe, *majori minor*
hic posthabendus est honos: & gloriam
in orbe facile temnit in Caelo decus
qui naetus est summum. Nec ergo nos decet
mutationem flere prosperam Tibi,
Comes! nec invidere, sed plausu pio
congratulari Coelitem civi novo.

lugens. scribet.

Johannes Rebhan, J.C. Com. Palat.

Cæs. Coll. Jurid. Argent. Senior, Cod. &
Feud. P. Ord.

IN NO-

IN OBITUM PRÆMATURUM
ILLUSTRISSIMI COMITIS
AC DOMINI

DN.

AUGUSTI
COMITIS AB HARDECK.

*Qui 28. Martii circa horam vespertinam sextam Anni 1665.
Argentorati, in Christo Redemptore placide &
pie obdormiuit.*

Turba Novena Deum, nunc æthera scindite planctu,
Solvimini in lacrimas, triste sonate melos.
Spe siquidem citius Vester deceffit Amicus,
Flosculus illustris, ceu cadit ante diem.
Hic, nisi Triga nocens Parcarum stamina Vitæ
Rupisset, vobis ritè litasset, ovans.
Is fuit **AUGUSTUS COMES ILLUSTRISSIMUS ORTU,**
Austriacæ Gentis gloria magna, decus.
Hinc **COMITISSA** dolet, Tristissima **MATER,** ab **HARDECK,**
Deliciasque suæ, cernit abesse, domus.
Nam vix bis denos vivendo impleverat annos
Quando supremum sensit adesse diem,
DEFUNCTUS NOSTER, Flos Nobilis, inter Alumnos
Palladis, & magnæ sedulitatis apex.
Longius haud memoro studiorum singula membra,
Cum sint cordatis Cognita abundè Viris.
Summus Aristoteles, quondam sectando Platona,
Egria ejusdem mentis Imago fuit:
Deprecor invidiam verbis, dum vera fateri
Sustineo dignis concelebranda modis.
Æmulus hic nostræ mentis fuit, arsit amore
Discendi, quoties res tulit atque locus.

B

Pauca

Pauca in Pandectis resabant pensa legendo
Discutienda, simul sine beanda suo:
Postea constituit se Talia propositurum,
Quæ doctis possent complacuisse Viris
Et sane, qui summus Honos, sine Præside, Telam
Susceptam solo perficiente DEO.
Hæc sibi proposuit firmato pectore, NOSTER
DEFUNCTUS, secum tale revolvit opus.
O veræ AUGUSTÆ MENTIS penitralia! digna,
Quæ marmor niveum significata notet.
Ast aliter placuit DOMINO qui cuncta gubernat,
Quem meritò mundi machina tota stupet.
Nimirum AUGUSTUM abripuit, per vincula mortis,
Transtulit ad sedes est ubi vera quies.
Electos inter qui nunc præconia laudum
Cantat & ex alto despiciat orbis opes.
O vere AUGUSTOS actusque, vicesq; beatas,
Vana quibus cessant, gaudia vera manent.
O ANIMA ILLUSTRIS, gratissima portio quondam
Militiæ nostræ præcipuumq; decus.
Cœlestes ornato Choros, ac júbila pange,
In vera patria, Voce sanante, VALE.

*Humillima observantia, & Vltimi honoris
signum, exiguis hisce, & relinquere
voluit, debuit*

Fridericus Deckherr, D. Pand.
Profess. Ordin. Divers. Imp. Stat.
Consil. & Advocatus,

Pauca

In obitum Luctuosissimum Illustrissimi Dn.

Domini Comitis de HARDECK &c.

MOrbilli multos pueros, multasque puellas
Hactenus ad dira miserunt limina mortis:
Nec quoque Te immunem fecerunt, inclita Proles
HARDEKIÆ stirpis, quæ spes, atque una voluptas
Solicitæ Matris fueras, & pulchra Corona
Stemmatibus HARDEKIÆ, cui mors Tua flumina multa
Excurret Lacrymarum, nec iusta sine causa.
Nam si nos vitam, mores, & scripta Virorum
Doctorum, quæ Tu assidue versare solebas
Seu lux adfuerit, noctis seu venerit umbra,
Perpendamus, erat spes concipienda, futurum
Te Patria lumen, Te sanctæ Ecclesiæ asylum,
Teq; AVGVSTE, Scholæ magnum certumq; Patronum.
At spes est nobis iam talis adempta: ideoq;
Te Natale solum, Te Ecclesiæ, Teq; Lyceum
Haud sanè immeritò, lugent, & corda dolore
Ingenti afficiunt, careant quod munere tanto.
Verùm, cum DOMINO, rerum cui summa potestas,
Sic fuerit placitum, vernanti in flore iuventa
Te ex huius mundi lacrymosa valle vocare,
Nostrum erit, hunc casum patienter ferre, scientes,
Quòd COMES hic noster sit terq; quaterq; beatus
Factus, & æterna nactus sit gaudia vita.

Συμπράξεις ἐγὼ σκρίβῃ.

Joh. Albertus Sebizius D. & PP.

QUam bene cœpisti peregrinas visere terras!
Pindus, Comes Celissime,
Argyropæus erat, quem mens sic arserat olim,
Mens nata tantum ad maxima:

Hæc sibi notitiam variarum quærere rerum
Noctu dieq; gestit;
Nec prius in cœpto potuit desistere, Cœli
Quam tota doctrinis fuit
Imbuta. Ergo Tibi cœlestes gratulor artes
Pro vanitate splendida;
Proq; Academia, cuius Tu flosq; decusq;
Eras, domus grator DEI.

Joh. Rudolphus Saltzmann D. & P.

Qua veluti Mater fuit, Vrbs, Comes Inclyte, mensi
Illustri, à teneris, hospitiumq;, tua;
Rectum iter ad patriam monstrans, adesq; perennes:
Ianua nunc etiam sit pate facta tibi;
Quâ subeas illam, decedens inde beatâ
Morte. Vel hoc de te qua bene sat merita est:
Quod, quamquam patria nequeat te reddere vivum
Terrestri; Calore reddidit, atq; DEO:
Mens ubi securè, multû subtrahit periculis,
Semper agit requiem lata bono, absq; malo:
Interea exuvias illustris corporis, illa;
Depositâ fidâ rivo recondet humo:
Dum tandem, Christi Comes; has, rediivus ad arcam
Cœlestem, referas; Rex ubi semper eris.

Per illustri Dn. Comiti ita parentat:

Baltasar Scheid Theol. D. Linguarum
Oriental. in Academia Patria Professor
Publicus.

In Obitum præmaturum

Illustrissimi

DN. COMITIS

Dn. quondam sui perclementis, cujus anima
requiescit in sinu Abrahæ;

IN publicis quoties locis TE vidimus:
*Scientia sublimioru edere
Specimina, quibus excelsa menti indoles
Memorable exemplum reliquit posteris,
Vitam precati fuimus, & dies bonos.
Sed ecce quis sicut DEVS, pater ille bonus!
Majora contulit, petere quam potuimus,
Sequitur volumus, cum volet cæli Dominus.*

Scrib.

Johannes Faust S. Th. D.
Log. & Met. PP.

In Funus acerbissimum,

Illustrissimi Domini, Domini

COMITIS ab HARDECK,

Cum Argentorati in divi Thomæ,

solenni ritu sepulchro inferretur.

SE splendere quidem, longe sed luce minore,
Stella sibi dum non amplius una micat,
Argyropea videt sentitq; Academia, & ingens
Solatur damnum hoc flendo, gemendo suum.
Dic nobis, quæso, studiorum ô inclyta mater,
Quænam, quæ cecidit stella sit illa tibi.

B 3

Est, in

Est, in quis, turbata, COMES HARDECCIUS, unus
Cunctarum laudum qui fuit ante capax,
Invida mors illud rapuit mihi falce profana,
Falce repentina, falce ruente decus.
Sed pia, quem queres, Mater compesce dolorem:
Et cineres tanti post tibi lumen erunt.

*Submissa observantia & luctus testandi
causa scripsit*

Samuel Schallefius, Eloq.
Prof. Publ.

Nuper in Aonio, Comes Illustrissimus Horto
HARDEKIAE Spes & gloria prima domus,
Cum vernaret adhuc letaque virefceret aura
Flos inter violas Regius ille fuit.
Quantum nempe humilis cedit Salinuca Roseto,
Flaventes quantum vincit Oliva Crocos.
Et quantum surgunt inter viburna Cupressi,
Tantum inter plantas extulit illi caput.
Gaudebant illo Musa, gaudebat Apollo,
Et decus hoc nulli posthabuere suum.
Non sine cultus erat fructu, nec cura molesta,
Incundus fuerat hunc coluisse labor.
Iamque suum latè dulcem spargebat odorem,
Spesque secutura maxima frugis erat.
Nunc ubi pallenti caput inclinavit in herba
Regius & flos hic marcuit ante diem,
Et viola lugent, dolet & tristissimus hortus,
Viburna & frutices quisque dolore stupent.
Pullata incedunt Musae, passisque Capillis,
Atque rigant lachrymis ora genasque suis.

Ipse

*Ipse sibi frondes decerpit Apollo Cupressi,
Quas gerat ut luctus tristia signa sui.
Quid facit Argyrope? quid tardi Naiades Elli?
Floribus ex variis neectere ferta parant,
Et tumulum facere, & tumulo hoc superaddere carmen,
Carpere quod secli nulla ruina queat:*

QVI. IACET. HIC. VIOLIS. DIGNVS. TVLIPISQVE. ROSISQVE.
REGIVS. HARDEKIAE. FLOS. FVIT. ILLE. COMES.
AVGVSTVS. SEMPER. SED. NVNC. AVGVSTIOR. HORTO.
QVOD. COELLI. INSERTVS. FLOS. SINE. FINE. VIGET.
REGINA. ALSATIAE. HVC. ARGENTEA. LILIA. SPARSIT.
SVNT. MEMORES. FLORIS. NAIADES. VSQVE. SVI.

*Submissa observantia
ergo*

apposuit

M. Joh. Matthias Schneüber,
P. L. Poësis Profess. Publ.
& Gymnasiarcha.

Capitulum de ...
Et ...
Et ...
Et ...

QUI FACIT HOC VIOLIS ...
ARGENTIS ...
AVOCETIS ...
IN ...
REGIA ...
SUNT ...

Submissa ...
N ...

M. Joh. Mathias Schnübler
P. L. Professor
& Gymnasiallehrer

...